



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Epistola VVidi monachi ad Heribertum Archiepiscopum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

*Epistola VVidi monachi ad Heribertum
Archiepiscopum.*

Circa ann.
1000.

FRATER NÆ mortis crimen incurrit quisquis cùm potest, fratrem à morte minimè defendit. Nos quoque, qui excellentiæ vestræ summum discrimen audivimus, summi reatus pœnam incurrimus si taceamus, Domino per Prophetam terribiliter adtestante quòd profecto sanguinem fundit qui impiorum iniquitatem tacendo dissimulat. Audivimus enim, quod valde miramur, quòd sacri apud vos ordines pecunijs distrahuntur, dum quicunque tale attentaverint, omnino hæretici comprobentur, sancto spiritu per Gregorium intonante quia quisquis per pecunias ordinatur, ad hoc ut fiat hæreticus promovetur. Et ut hujus nostræ paginulæ non præsumptionem sed timoris causam fuisse monstremus, beatus idem prosequitur: *Quisquis contra simoniacam & Neophytorum hæresim pro officijs sui loco vehementer non arserit, cum eo se non dubitet habituum portionem qui prius commisit hoc piaculare flagitium.* Quibus in verbis cùm hæretica & simoniaca & Neophytorum hæresis exprimatur, quòd æterna morte dignissimum crimen sit apertissime declaratur, protestante per Augustinum divino oraculo ac dicente: *Firmissimè tene & nullatenus dubites omnem hæreticum vel schismaticum, quamvis multas eleemosynas faciat vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum diabolo & angelis ejus aeterni ignis incendio mancipandum, nisi ante finem hujus vitæ catholicae fuerit incorporatus & redintegratus Ecclesia.* Hinc est quòd Dominus vendentes & ementes de templo ejecit, Dathan & Abiron ambientes terra glutivit, Simonemque tentantem Pe-

S. Gregor. lib.
4. epist. 51.
55, 56. & lib.
7. Ind. 2.
epist. 110.
1. q. 1. c. 5.
Quisquis.

Fulgent. de si-
de ad Petr. c.
39.

trus damnavit, omnesque in eo simoniacos ecclesiasticis jaculis Petrus perpetuo anathemate condemnavit. Et turpe nimium est ut in plenissimo jam vigore confirmata Ecclesia tam ferali inimico succumbat, de quo in primordio suae infantiae tanta virtute triumphat. Si quis autem objicerit non consecrations sed res ipsas quae ex consecratione provenient vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus sapere. Nam cum corporalis Ecclesia aut Episcopus aut Abbas aut tale aliquid sine rebus corporalibus & exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit sine quo alcum habere non provenit, neutrum venditum delinquit. Quam tamen objectionem sacer penitus canon exterminalat, cum procuratorem vel defensorem Ecclesiae vel regulae subjectum adeo per pecunias ordinari prohibeat ut interventores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat. Quid plura? Si anathematizati & excommunicati & ut verè haeretici simoniaci & neophyti à numero sunt fidelium Ecclesiae separati, quis non videat quia hujusmodi Sacerdotum vel Clericorum Missæ & orationes Deum ad iracundiam super populum provocent, quem placari talibus credebamus? Scriptum est enim: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et item: *Veri sacrificij locus extra catholicam Ecclesiam non est.* Vnde & dicitur: *Haereticum hominem post primam & secundam correptionem devita.* Quomodo ergo tales Episcopos vel Abbes vel reliquos Clericos devitamus si eorum Missas audimus, eum quibus si vel semel oramus, excommunicacionem subimus? Quos quidem Sacerdotes esse saltim credere omnino errare est, cum Petrus Simoni dicit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia asti- masti donum Dei pecunijs possideri.* Vbi cum estimasti

1. q. 3. c. 7.
Si quis obje-
cerit.

Concil. Chal-
cedon. c. 2.

Rom. 14.
1. q. 1. c. 71.
Extra.
Tit. 3.

A. 8.

dicitur, pater quia non pro eo quod fecerit, sed quia facere se posse crediderit condemnatur, cum tamen minus sit estimare quam credere. Cum itaque hereticum qualecumque esse sit certa & indubitate damnatio, quid valet Arianos, Sabellianos, Photinianos, impiosque Manichaeos orbe pepulisse si simoniaca & neophytorum heres, quae, ut beatus Gregorius dicit, ante omnes in Ecclesia diabolica fraude subrepserit, quasi primam & maximam Ecclesiae castitatem fœda nimium pollutione contaminet? Igitur id propter Deum vestram excellentiam & omnes fideles Christi rogamus & obtestamur, si habere partem in Christo cupitis, summopere instate ut tam saeva pestis, quae innumeros populos jam usque quaque saeviendo æterna morte multavit, vestra auctoritate & exemplo penitus destruantur, ne ulterius, quod absit, in spiritu sancto peccare, neque hic neque in futuro seculo remittatur.

Tria antiqua epistolæ istius, quæ ab Ivone quoque in parte secunda Decreti cap. 84. edita est, exemplaria habemus, unum ex bibliotheca regia, reliqua ex Colbertina. In uno istorum ea nullum titulum habet, in alio vero hunc: *Epistola sancti Paschasi Papæ ad Mediolanensem Archiepiscopum simoniaca heresi laborantem.* Constat sanè aeo Paschalis secundi, qui Paschadius quoque dictus est à nonnullis, Petrum Grosulanum Mediolanensem Archiepiscopum accusatum fuisse quod archiepiscopalem dignitatem pretio mercatus fuisse. Verum cum de istiusmodi simonia non agatur in hac epistola, eaque scripta videatur ab homine qui minoris esset dignitatis quam is ad quem scribebatur, facilè adducor ut credam veriorem esse inscriptionem quam præfert codex regius, in quo sic legitur: *Epistola Vvidi monachi ad Heribertum Archiepiscopum, Colonensem nimirum, quem varijs calumnijs imperitum fuisse docet in vita ejus Rupertus Abbas Tuitiensis.* Ob eam vero causam in primis nos illam heic representare voluimus, ut eam auctori suo integrum restitueremus.

TERRIBILITER ATTEST.] In uno codice Colbertino legitur intestante, in alio intonante. In utroque autem deest vox terribiliter.

L I B E R P R I M V S.

415

Q U I S Q U I S] In Colbertinis scriptum est *Quia quis*.

H A B I T U R U M P O R T .] Eadem exemplaria habent portionem habere.

D A M N A V I T] Hæc vox & quæ sequuntur usque ad vocem *condemnavit* non extant in eisdem exemplaribus, & videntur superflua.

P L E N I S S I M O I A M V I G O R E] Ita codices Colbertini. At regius habet *plenissimum jam vigorem*.

V E N D I , V I D E T U R] Retinuimus lectionem codicis regij. In uno Colbertino scriptum est : *vendi videtur quid est aliquid dicere nisi aut penitus nihil sapere*. in alio, ubi vox *vendi* non extat, ita legitur hic locus : *quid ut aliquis aliud dicere, nisi autem penitus nihil sapere*.

N E U T . V E N D . D E R E L .] Ita Colbertini. Regius : *neutrūm non vendit non derelinquit*.

S E M E L O R A M U S] Colbertini simpliciter, audimus.

E p i s t o l a Boamundi P r i n c i p i s A n t i o c h i æ , R a y -
m u n d i C o m i t i s s a n c t i Æ g i d i j , G o d e f r i d i D u -
c i s L o t h a r i n g i æ , R o b e r t i C o m i t i s N o r m a -
n i æ , R o b e r t i C o m i t i s F l a n d r e n s i s , & E u -
s t a c h i j C o m i t i s B o l o n i æ a d V r b a n u m I I .
P a p a m .

D O M I N O & venerabili Papæ Urbano Boa- Anno 1098.
mundus & Raymundus Comes sancti Ægidij,
ac Godefridus Dux, Robertusque Comes Nor-
manniæ, atque Robertus Comes Flandrensum, &
Comes Boloniæ, salutem & fidelia servitia, & ut
filij suo patri spirituali veram in Christo subjectio-
nem. Volumus omnes & desideramus notum vo-
bis fieri quām magna Dei misericordia quāmque
evidentissimo ipsius Dei adminiculo à nobis capta
est Antiochia, & Turci, qui multa Domino nostro
Iesu Christo intulerant opprobria, capti & inter-
fecti sunt, & nos Hierosolymitani Iesu Christi in-
jurias summi Dei vindicavimus, & nos, qui Tur-